Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 941
Quelle:
Copyright:

Novo argumento, quantum in hanc diem laborent *Iſidoriana*, quantumque ſoſpitatore opus habeant.

CCCCVII.

U. 104 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 101. 4. probe ſcriptus, rubricis diſtinctus, et quondam κτημα Popularis mei; legitur enim *fol.* 1. p. 2. *Iſte libellus eſt magiſtri Johannis Vetter de Schardinġ, et comparauit eum Patavie Anno domini M° CCCC° XXXIV°.* praemiſſo Indice, qui primum illo anno additus fuit, continet S. *Iſidori* Ep. *Hiſpal. Libros III. Sententiarum*, alias etiam *de ſummo Bono* inſcriptos. L. I. incipit: *Summum bonum deus eſt* &c. ut Edit. *Pariſ.* 1601. p. 617. f. Ad ejus calcem in Codice reperias *fol.* 20. p. 2. *Caput de penitentibus*, quod huc non pertinet, ſed eſt *Cap.* XVI. *Libri* II. *de Eccl. Offic.* hoc initio: *Penitentibus exemplum Job primus exhibuit* &c. ut edit. *cit.* p. 604. in qua per decurſum *Capita* quandoque etiam aliter diviſa ſunt, aut ſe excipiunt, quam in Codice, qui ceterum integer eſt, et probam ſaepe lectionem ſubpeditat. Sic L. I. c. 1. malim *Nude ac ſubſtantialiter* pro impreſſo *Bene ac ſubſtantialiter*, item *aliud putari dei naturam* omiſſo *debemus* pro *aliud deum putare*, item L. II. c. 7. nobis *fol.* 24. *Inchoantibus premium promittitur. ſed perſeuerantibus datur*, pro *Non inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeuerantibus* &c.

II. *fol.* 68. p. 2. ſuccedit Sermo Anonymi brevis, qui infit: *Totum quidem dilectiſſimi paſchale ſacramentum euangelica nobis narracione preſentatur et ita per aurem carnis penetralis* (penetrabilis?) *eſt mentis auditus* &c. Autorem ignorare me fateor, qui tamen non videtur e recentioribus.

III. *fol.* 69. p. 2. *Incipit Bernardi de conſideracione ad eugenium papam.* Opus integrum *Libris* V. definitum, ut extat edit. *Maur.* T. II. *col.* 407. hoc initio: *Subit animum dictare aliquid* &c. et fine: *ſed non finis querendi.* Additur: *Per J. de B.* Nomen veriſimiliter Librarii.

CCCCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 927 XII. Folior. nunc 165. f. maj. per duas columnas bene exaratus, minio diſtinctus, olimque Collegii S. J. *Viennae* complectitur *Iſidori Hiſpal.* Epiſcopi XX. *Originum Libros* hac ratione. Praeit Summarium generale, ad quod ita introducimur: A. ✠. Ω. *Ut Valeas Quę Requiris In hoc corpore inuenire. hęc tibi lector pagina monſtrat. De quibus rebus in libris ſingulis conditor huius codicis diſputavit.* Summarium iſtud, quod in Editione *Pariſ. Jacobi du Breul*, 1601. f. non habetur, excipiunt *Epiſtolae* VI. inter *Iſidorum* et *Braulionem* Ep. *Caeſarauguſtanum*, quarum I. inſcribitur: *Domino Meo Et Dei Servo Braulioni Epiſcopo Yſidorus*, et incipit: *Omni deſiderio deſideraui nunc uidere*

faciem